

44/62400







A
E

1720

DISPVTATIO

DE IVDICIIS EORVMQVE PERSONIS ET PARTIBVS

QVAM

D. O. M. A. S.

Ex autoritate Illustris & Magnifici viri

Dn. ANTONII PROSPERI

Patricii Spediensis , natione Genuensis

Almæ Vniuersitatis DD. Iuristarum in celeberrimo

Patavino Gymnaſio V. Rectoris

Pro Doctoratus in utroq; Iure titulis cōsequēdis

discutiendam exhibet.

JOHANNES BAPTISTA REIMAN LEOBERGENSIS

SILESIUS GERMANVS.

Ad diem 10 Octobris. Anno Christi. 1595.



PATAVII,

Apud Laurentium, Pasquatum.

2^{mo}
Illustriss. Celsissimoq; Principi ac Domino
Domino

IOACHIMO FRIDERICO
Duci Silesia

In Liegnicz & Brieg
Diocesos Lubenensis Hypothecario &c.
Domino suo clementissimo
Hanc disputationem,

Obseruatiæ summæ, gratitudinis debitæ ergo
Cum summisse tūm meritō
Dicabat, consecrabat

Mündt +

Iohannes Baptista Reiman Sil.



Illustrissima eius Celsitudini

Perpetuò addictissimus.

380|44|624 00(1)

XX XX



De Iudiciis, eorumque personis & partibus.

I.



Vm omnis vitæ civilis societas ex duplicit hominum genere, bono nimurum & malo, constet ; nemo opinor inficias ibit , quin ad utrumq; hoc hominum genus tuendum frēnandumq; in primis Iure Iusticiaye sit opus .

II.

Iustitia namq; si vigear, regna etiam quævis vigere necesse est : si corruat, & ipsa uno labefactata motu corruere est consequens: adeò ut & scitè & verè, D. Augustinus scriptum re liquerit : remota Iustitiæ regna nihil esse aliud nisi magna latrocinia.

III.

Tunc autem inprimis viget floretq; Iusticia, quando in unum quoddam corpus homines redacti , finem vitæ beatissimum honestè vivendo, neminem lœdendo ac suum cuiq; tribuendo assequi student.

IV.

A 2 Omitto

Omitto h̄c priora illa: posterius hoc vt bene fiat, leges earum
demq; actiones requiruntur: quæ cum in Iudiciis ut pluri-
mum expediantur, de his potissimum in præsenti dispiciamus.

V.

Iudicium definitio legitimam rei controversæ inter litigantes
apud Iudicem tractationem, sic circò potissimum in medio co-
stitutam, ut lites magistratus autoritate sopirentur, & quisq;
præsidium Iuris sui haberet publicum.

VI.

Eius commodissima divisio duplex dari potest; à fine nimirū
& à forma: à fine quidem quod Iudicium aliud dicatur ci-
vile, aliud criminale.

VII.

Civile illud est, in quo pœna parti læsa, quæ agit, applicatur:
criminale verò in quo pœna vel corpori delinquentis infli-
gitur, vel si ea sit pecuniaria fisco adiicitur.

VIII.

A forma Iudicium aliud est ordinarium: in quo scilicet, ordo
seu modus rem controversam tractandi observatur solennis
atq; usitatus: aliud verò extraordinarium; in quo ordo ille
seu modus solennis non observatur; sed quomodo cunq; si
ne ullo Iudiciorum strepitu & figura de plano proceditur.

IX.

De plano tunc proceditur, quando cæteris Iuris solennibus
quiescentibus, citationes, Iuramentum calumniæ, probatio-
nes necessariae, defensionesq; legitimæ admittuntur: ex quo
tamen Iudicio sententiâ definitivam surgere rectè Interpp.
concludunt.

X.

Porrò ad quodvis Iudicium constituendum tres requiruntur
personæ; Iudex, actor, & reus. Iudex, ab eo quod Ius dicat,
h. e. rem in controversiam deducatam Iure definit, ita appelle-
latus, est persona quæ Iudicio præfet, inter litigantes me-
dium agens.

XI.

Hic

Hic vel ordinarius est, vel extraordinarius. Ordinariū eum
voco, qui Iure magistratis, quem gerit, secundum Iurisdi-
ctionis suæ modum Iudicat vel de Iure vel de facto in Iu-
diciū deducto.

XII.

Extraordinarius is dicitur, qui Iudicandi potestate nactus est
ex voluntate hominis, eiusq; personæ vel publicæ, vel priva-
tæ: publicæ quidem si à magistratu delegetur: tūm verò pro
prii nihil habet, neq; officii sui partes alteri delegare potest;
quod tamen delegato principis concessum esse reperio.

XIII.

Ex voluntate personæ privatæ sunt arbitrii, quorum duo gene-
ra Ictus Proculus recenset: unum eiusmodi, ut sive æquū
sit sive iniquum parere debeantur, quod observatur cum ex
promissio ad arbitrum itum est: alterum eiusmodi, ut ad bo-
ni viri arbitrium redigi debeat, etiam si nominatim persona
sit comprehensa cuius arbitratu fiat.

XIV.

Planè ab arbitrii sententia regulariter appellari non potest, nisi
laudum vel sententia arbitrii enormissimam contineat lāfio-
nem, vel manifestam & evidentem iniquitatem: quippe co-
casu appellationem concessam esse in aperto est.

XV.

Quid si plures fuerint arbitrii, diversasq; sententias protule-
rint? an quæ decreverint contempnda erunt? Minime, sed
ei sententiaz standum, in quam maior pars consenserit, mo-
do in unam etiam summam consenserit.

XVI.

Idem quoq; in eo dicendum, si pœna compromissio adiecta no-
sit. Nam & hoc in casu appellationem non admittendam
esse æquius est & verius.

XVII.

E contrâ sciendum, ab arbitratoris seu amicabilis litium compa-
sitoris sententia intra tricennium reductionem concedi, pro
quæ tamen non nisi Index ordinarius, eius, qui reductione

petit,

petit, adeundus est.

XVIII.

An autem ab hoc reductionis Iudice (sive is confirmet sive infirmet arbitratoris sententiam) appellare liceat, gravis & an-
ceps est quæstio: sententia affirmativa multorum calculis
approbata hactenus obtinuit quam & ego ut veriorem se-
quar.

XIX.

Compromittere possunt omnes, qui non prohibentur: prohi-
bentur vero ob dementiam furiosi, ob ætatis infirmitatem
impuberis, ob statum servi, deniq; ob sexum foeminae, si no
proprio sed alieno nomine compromittere velint.

XX.

Et quidem compromitti potest in quoscunq; arbitrari no pro
hibitos: adeò ut & in dignitate constitutus, & filius fam, in
re patris arbitri officio fungi possit.

XXI.

Quinimò parvi refert, ingenuus quis an libertinus, integræ fa-
mæ an ignominiosus sit arbiter: dummodo non pupillus sit,
nec furiosus, nec mutus, nec surdus, nec servus, nec excom-
municatus: horum enim omnium nullum esse arbitrium pla-
num est.

XXII.

Revertor à Iudice extraordinario ad ordinarium: is à præto-
re olim caussis cognoscendis præficiabatur; siquidem præ-
tor caussas ipse non cognoscebat, sed ijs cognoscendis Iu-
dices dabat, quod ex verbis prætori solennibus, DQ, DI-
CO, ADDICO, apparet.

XXIII.

Hodiè magistratus ipsi Iudices sunt, non tamen indistinctè omnes: siquidem surdos, mutos, perpetuò furiosos, & im-
puberes, natura; dignitate motos, lex; mulieres & servos, pu-
blici huius munieris dignitas removere iubet.

XXIV.

Cæco etiam hæc iudicandi potestas committi non potest: cu-

ius

7

ius tamen filium fam. in causa patris privatamente participem
fieri posse existimo.

XXV.

Amplius nec XVIII. annis minori, nec iuris imperito Iudicis
officio fungilicet: cuin uterq; manifestissimis Imp. Iusti-
niani constitutionibus repellatur.

XXVI.

Si qua ergo enumeratarum personarum iudicio præfigatur op-
ponenda ei erit inhabilitatis exceptio. Quid si omnium sen-
tentia pro habili reputetur; num, quæ interea acta sunt, in-
firmabuntur? certè ut subsistant & valeant æquitas legumq;
tenor svadet.

XXVII.

Deindè incompetentiæ etiam exceptio quandoq; Iudici oppo-
nitur: si nimirum reus ad forum non competens trahatur: &
non tamen exceptioni huic, nisi ante litem contestatam lo-
cus est; quippe lite contestata Iudicem competentem
fieri dubium non est.

XXVIII.

Præterea recusationis quoq; exceptio iudicibus obiici solet;
dum nimirum ex non frivola sed legitima probabilitq; cauf-
sa, litigantes Iudicem suspicionis arguunt: quæ quidem su-
spicio Iure & Canonico & Civili libello porrecto ex pri-
mi debet.

XXIX.

Ex multis autem causis Iudex suspicionis argui potest: puta si
caussam habeat consimilem cum ea de qua ipsi iudicandum
est: si alicui litigantium sit inimicus, si affinis, si familiaris, si
iuris imperitus, & eiusmodi alijs quas longè lateq; Dd. tra-
stant.

XXX.

Illud bene ac singulariter obseruandum: quod omnes ille cau-
se quæ testem tanquam suspectum a iudicio repellunt, mul-
to magis Iudicem ipsum repellant: quinimo minor in Iudice
sufficit opinio, quam in teste; cum facilitior labore alius Iu-

dex quam testis inveniri queat.

XXXI:

Cessantibus omnibus inhabilitatis incompetentiæ & suspicio-
nis caussis permisum est Iudici secundum iurisdictionis suæ
modum de causis omnibus cognoscere, ita ut legibus con-
stitutionibus ac moribus est provisum.

XXXII.

Omnino autem curare debet, ut quantum possibile es sit, certæ
pecuniae vel rei sententiam ferat, etiamsi de incertâ quantita-
te apud eum agatur.

XXXIII.

Insuper & hoc eius diligentia incubit, ut caussas civiles intra
triennium, criminales intra biennium à litis contestatione
decidat, quæ tempora propter favorem publicum, ut eò citius
lites finiantur, minui quidem possunt, non vero prorogari.

XXXIV.

Deniq; si in uno eodemq; Iudicio plures questiones ver-
sentur; operam dabit Iudex, ut prius criminales, quam civiles;
possessionis, quam proprietatis; status, quam hereditatis, de-
cidat.

XXXV.

ACTOR. (altera persona Iudicium constituens) est qui prior
ad iudicium contra reum provocat, & ab initio volens est
semper, invitus nunquam: siquidem invitus agere vel accusa-
re nemo cogitur: à lite tamen cepta impunè ipsi desistere
non licet, nisi reo consentiente.

XXXVI.

In tribus istis Iudiciis familæ herciscundæ, communis dividun-
do & finium regundorum quæritur quis actor intelliga-
tur, quia par causa omnium videtur: magis placuit cum vi-
deri, qui prior ad iudicium provocaverit: sed si ambo provo-
caverint, forte res discernetur.

XXXVII.

Reus a re, hoc est, causa seu controversia quæ ab actore ipsi
movetur, sic dictus est, qui actionem ab actore intentatam
propulsat; & hunc in omni Iudicio esse oportere, certi indu-

bitatiq;

bitatiq; iuris est.

XXXVIII.

Itaq; & in initium quandoq; iudicium datur: estq; reus quo-
ad caussæ merita eorundemq; probationes, favorabilior; quo
ad processum iudiciarium ordinandum, deterior, ne videlicet
in illius sit potestate, Iudicij magistratusq; autoritatem delu-
dere.

XXXIX.

Illud benè prouisum est, imperialibusq; constitutionibus cor-
roboratum, ut non reus actoris, sed auctor rei forum sequi te-
neatur; quod sortiri quis potest, ratione vel contractus, vel
domicilii, vel delicti, vel deniq; rei petitæ: quibus non iniu-
stè ius Canonicum & caussæ qualitatem addidit, que facit,
vt clericus coram Iudice non laico, scholasticus coram ma-
gistratu Academæ conueniatur: etiamsi de alio Iudice ad-
eundo inter se consenserint.

X L.

Et hactenus de tribus illis personis principalibus, quæ Iudiciū
constituunt: quibus sèpè numerò & aliæ personæ minus prin-
cipales accedunt, idq; commodius explicandi Iudicij & tra-
nsandæ controversiæ caussa.

X L I.

Et quidem Iudici consultandi causa accedunt Assessores, qui
sunt Iurisconsulti, in Iudicio negoti cognoscendi rectèq;
iudicandi causa assidentes.

X L I I.

Eorum omne officium in his ferè caussis constare Paulus scri-
bit: in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, de-
cretis, epistolis.

X L I I I.

Plane suo nomine nihil agunt, adeò vt ne libellis quidem sub-
scriberé possint: consilium tantū iudicanti suggerunt, (vnde
& consiliarii appellantur) quod si pravum iniquumve fuerit,
consultori erit pessimum: non enim ob dolum tantum, sed
ob imperitiam etiam suam assessores tenentur.

XLIV.

Amplius ut rectè beneq; iudicium instruatur, accedunt etiam

B iudici

iudici, tabelliones, seu scribæ, his quæ in iudicio proponuntur scribendis dirigendis præfecti, quos communiter hominē notarios appellamus.

XLV.

Præter hos viatores quoq; in iudicio adsunt, qui sunt, iudiciorum nuncii, siccirco ad hoc officium electi, ut quæ in iudicio fieri debeant, ex Iudicis mandato litigantibus & aliis denuntient.

XLVI.

Cæterum non tantum Iudici, sed & litigantibus personæ quædam intermediae accedere solent, quod cum faciunt, faciunt aut interveniendi, aut patrocinandi cauſſa.

XLVII.

Interveniendi cauſſa qui accedunt, illi ab initio quidem ipsi cōtrouersiam in iudicium non deduxerunt: sed cum deductam est, se interponunt; eò quod sua intersit maximè, controvërsiam illam tractari vel non tractari.

XLVIII.

Solent autem vel sponte sua interuenire, puta si non uocati cōpareant, alterutriq; litigantium accedant: vel inviti, ut potè cum ad alterutrius litigantis petitionem a Iudice uocentur.

XLIX.

Patrocinandi cauſſa litigantibus accedunt advocati, qui sunt patroni cauſſarum, litigantes consiliis suis Iuvando, meritaq; controvërsiæ pandendo.

L.

His priuilegia concessa sunt amplissima. Cum enim duplēcē finem propositum habeant: cùm vt hominum salutē privedant; tūm verò ut privatorum cauſſas tueantur & vitæ sub fidia necessaria comparent; rectè Impp. optimi constituerunt, vt æquiparentur nobilibus, & militibus, & ut eorum allegationes perindè haberentur ac si ab ipsis dominis litiū proferrentur.

L I.

Insper & hoc iidem constituerunt: ut ab omnibus officiis vilioribus essent immunes; ut post officii resignationem frue-

rentur

rentur palma dignitatis clarissimatus; ut filii eorum in locum demortuorum advocatorum sufficiendi extraneis gratis præferrentur; ut filii fam. ea omnia quæ advocatione acquirerent sibi haberent tanquam castrense peculum, & si qua sunt his similia partim ab Imperatoribus tradita.

LII.

Sanè si patronus quispiam has advocationis partes ad turpe cōpendium stipemq; deformem arripuisse; vel officium suum segnius negligentiusq; tractasse fuerit convictus, statutum est ut ordine moveatur, & clientibus ad restitutionem salarii teneatur: quinimò placuit ut si unius partis advocatus rationibus illius instructus ad alteram transeat, prævaricationis & falsi criminis reus sit.

LIII.

Addo, quod optimè optimus Imp. Iustinianus sanxit; ut nemo audeat in uno eodemq; tempore tām advocatione uti, quā assessoris cuiuscunq; magistratus curam arripere: cum satis abundēq; sufficiat, vel per advocationem caussis perfectissimè patrocinari, vel assessoris officio fungi ne cum ad utrūq; quis festinat, neutrū bene peragat.

LIV.

De salariis aduocatorum sciendum, recte ea advocatis consti-tui; quæ illis non tantum debentur cum vincunt; verum etiam cum vincuntur & caussa cadunt: imò patronorum sci privilegium est, ut si ante anni finem naturæ satisfaciant, ad heredes totius anni salario transmittant.

LV.

Deniq; cum infamibus omnes dignitatis portæ occlusæ sint, recte iidem anobili hoc & publico aduocationum munere arcentur, in tantum; ut nec volente ac consentiente parte adversa admitti possint.

LVI.

Præter advocatos patrocinando etiam litigantibus accedunt procuratores, quos propriè vocamus patronos litem ex manu domini prosequentes.

LVII.

Eorum omne officium olim quidem vile fuit : adeò ut de iure ciuili etiam infamis procurator esse posset : moribus tamen nostris hoc antiquatum, & procuratorum officium aduocatorum muneri adæquatum est .

LVIII.

Vtriq; verò & aduocati & procuratores actorum sunt & reorum, modò caveat, ut qui reo patrocinium suum addixit, auctori ne accommodet, & vice versa.

LIX.

A personis Iudicij tamen principalibus quam minus principalibus, veniamus ad eiusdem partes: quarum tres præcipuas Dd. agnoscunt & statuunt ; litis videlicet contestationem, probationem & sententiam.

LX.

Præcipuas inquam, quia reliqua quæ in Iudicis versantur dicunt esse aut antecedentia ut citationes, aut consequentia, ut executiones .

LXI.

De litis contestatione vulgatum hoc est omnibusq; Dd. ap- primè familiare axioma: omne Iudicium à litis contestatione incipere: quod adeò verum est ut nec Iudicis autoritate nec partium consensu ea omitti possit: sed omissa processum viciet, sententiamq; latam ipso iure nullam reddat .

LXII.

Definitur litis contestatio controversiæ principalis ex utroq; parte apud Iudicem testato facta narratio.

LXIII.

Ea ab utroq; & auctore & reo facienda est, ita ut auctor eam affirmando reus negando faciat.

LXIV.

Illud tantæ necessitatis non est, ut auctor tamen solenniter litem contestetur quam reus : siquidem ab hoc adeò necessariò illalitis contestatio requiritur ut si tergiversetur, & auctor litis contestationem urgeat, Iudex sæpenumerò litem pro cō

testata

testata acceptet: quod perinde est atq; si reus ipse litem cōtestatus esset.

L X V.

Plurima operatur litis contestatio: Iudicium namq; fundat; actiones natura sua temporales perpetuat; adversarium, quantum ad fructus attinet, in mala fide constituit; actoris conditionem non deteriorem sed meliorem reddit; deniq; omnia quæ post illam emergunt ad Iudicis officium devolvit.

LXVI.

Alteram iudiciorum partem dixi Dd. statuere probationem: quam finiūnt actum solennem quo quis instrumentis aut testibus aut argumentis idoneis iudici fidem faciat.

LXVII.

Per instrumenta non intelligo instrumenta illa priuata, inter homines autoritate, privata confecta (cuiusmodi sunt inuenta ratione, apochæ, antapochæ &c.) quæ sola ad fidem faciendam non sufficiunt: sed illa publica autoritate vel magistratus vel tabellionis munita, fidem rei, quæ in illis continetur, facientia.

LXVIII.

Quorum summa solennitas est, ut iis nominis divini prefigatur invocatio, assignetur deinde nomen annus & indictio principis regnantis; itemq. annus mensis dies hora & locus contractus: tandemq. ut hæc omnia subscriptione & sigillo notarii confirmantur, necessum est.

LXIX.

Eorum finis duplex est;actus nimirum solennitas & cautionis probatio: undè non immeritò à Dd. affirmatum est, duas ex instrumentis fluere præsumptiones; unam veritatis alteram solennitatis: quæ tanti sunt ponderis, ut plenam perfectaq; Iudici fidem faciant, & instrumento perinde credatur atq; duobus vel tribus testibus.

LXX.

Testes voco personas de iure habiles, prævioq; iuramento examinatas ad rei alicuius dubiæ fidem faciendam.

Testari

LXXI.

Testari autem possunt omnes si non vel naturā quō minus id facere possint, impediantur, vel lege quō minus id facere debant, prohibeantur.

LXXII.

Naturā impediuntur, furiosi, impuberes, & similes qui intellectum non habent aut vitio aliquo corporis laborant, quales sunt cœci & surdi qui factum de quo agitur vel videre, vel audire non potuerunt.

LXXIII.

Lege impediūtur infames omnesq; alii quos ius intestabiles esse iussit; sic nec pater filium, nec uxor maritum, nec frater fratrem, nec seruus dominum, nec libertus patronū testimonio suo iuuare potest.

LXXIV.

Reliqui qui non vel impediuntur, vel prohibentur, coram Iude & notario, remotis partibus, iurati, viva voce, de facto illo, quo de interrogantur, ex certis scientiæ suæ cauissimis, non alieno auditu, deponent.

LXXV.

Porrò omnes probandi partes non soli actori neq; soli reo sed utriq; & actori & reo sive excipiendo sive agendo aliquid intendant competunt: quod si uterq; & quales probationes habeat in dubio Iudex ad absolvendum liberandumq; reum proclivior erit.

LXXVI.

Probari debent facta; & quidem facta non indistinctè omnia; sed quæ ad caput controversiæ cauissimæq; decisionem spectant; quæq; probari possunt aut directè aut saltē per levem aliquam præsumptionem: reliquorum. probationes Iudex admittere non debet: ne malitiosè & in partis adversæ præ iudicium negotii disceptatio proteletur.

LXXVII.

Vt post litem demum contestatam probationes fierent summa ratione summaq; æquitate introductum est: siquidem
lite

lite nondum contestata incertum est negaturus an confessurus sit reus quod intenditur.

LXXVIII.

Effectus earum maximus est, quod secundum easdem (modò sufficientes sint & uerae) Iudex pronunciare debeat nisi litem suam facere, & in id quod litigatoris interest condemnari velit.

LXXIX.

Atq; hinc puto desumi posse decisionem gravissimæ illius vehementerq; inter maximi nominis Dd. agitatæ quæstionis: an in Iudicando Iudex acta & probata an vero conscientiæ sequi debeat: si ad modo dicta attendamus dicendum omnino erit Iudicem secundum acta & probata Iudicare debere: quæ sententia utroq; Iure & Canonico & Ciuali est fulta.

LXXX.

Tertiam & ultimam Iudiciorum partem Dd. statuunt sententiam; quam dicunt esse rei controversæ in iudicio ritè factam decisionem, continentem rei conventi vel condemnationem vel absolutionem.

LXXXI.

Eaq; est vel interlocutoria; quam Iudex, interim dum in penenti adhuc est principale negocium, de incidenti aliquo fert articulo: vel definitiva, quæ ipsam caussam principalem definit ac determinat.

LXXXII.

De banni imperialis sententia quæsitus memini, unum definitiva sit an verò interlocutoria? Distingvo cum doctissimo Gailio inter bannum quod ob delictum fractæ pacis; & inter bannum quod ob contumaciam irrogatur: atq; cum eodem ex banno delicti sententiam definitiūm, ex banno contumacia, interlocutoriam exsurgere defendam.

LXXXIII.

Cæterum sententia nullius est momenti: nisi à Iudice competente & vel iurisdictione, vel saltem notionem aliquam habente, litigatoribus praesentibus, scripta, pro tribunal, in loco consueto feratur.

Quid



LXXXIV.

Quid si plures sint Iudices? omnes ne pronunciabunt? omnino si modo omnes adsint: nec refert si ex pluribus unus à reliquorum sententia discrepet; eo enim casu reliquorum sententiæ standum est,

LXXXV.

Illud bene ab antiquis provisum: quod magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconueniens duxerint: unde rectè Interpp. sententiam noctum latam valere negant; etiamsi iudicantis iurisdictio tempore esset peritura.

LXXXVI.

Effectus sententiæ in eo est ut post x. dierum spacium transeat in rem iudicatam: nec possit ob nova instrumenta reperita aliasve probationes retractari sed ius inter litigantes faciat.

LXXXVII.

Interim tamen indubitate juris manet, nemini auctoritate privata Iudicati bona distrahere licere; cum qui distraxisse fuerit convictus, non tantum furti actione, sed vi etiam bonorum raptorum teneatur.

LXXXVIII.

Atq; hæc etiam parcissimè de tertia iudiciorum parte dicta sufficient: quibus coronidis loco addo quæstionem non tam iucundam quam utilem: an, si iudex cōtra communem Dd. opinionem pronunciet, litem suam faciat? qua in quæstione determinanda sequor Plinium qui non numerandas sed ponderandas sententias esse uoluit; itemq. Iustinianum nostrum; qui non ex multitudine autorum quod melius & æquius est Iudicare iubet; cum possit unius forsitan & deterioris sententia multos & maiores aliqua in parte superare.

P A T A V I I,


Apud Laurentium Pasquatum.

M. D. XC V.

SUPERIORVM PERMISSV.

380/44/62400(1)

X13<4462400100010



+ colorchecker CLASSIC

